



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Iacobi Brvckeri Regiae Scient. Societatis, Qvae Berolini
Floret, Membri Historia Critica Philosophiae**

A Tempore Resvscitarvm In Occidente Litterarvm Ad Nostra Tempora

Brucker, Johann Jakob

Lipsiae, 1744

Capvt Tertivm, De Hieronymo Cardano.

urn:nbn:de:hbz:466:1-28327

sum, acerba fatyra eum depexum dare voluisse, ideoque magno conatu et liberrimo calamo in superstitionem Christianorum fuisse inuectum. Solitum enim fuisse id facere, vna oratio valedictoria apud Wittebergenses habita luculenter demonstrat. Cum autem systema sibi physicum et metaphysicum construxisset, quod a placitis Christianae doctrinae haud parum deuiat, et nonnulla dogmata inter fabulas refert, quae in ciuitate sacra inter summas leges referuntur, quale est de praemiis atque poenis post hanc vitam, omnino verisimile est, hominem audacem animique impotentis talia quoque inter superstitiones monachales retulisse, et sic in ipsam quoque religionem peccauisse. Certe paradoxa, et a placitis Christianis multis nominibus discedentia somnia Brunum fouisse, quale est praeadamitarum fabula, negare non audemus, et ipsum eius systema philosophicum attentis suadet. Quae ab improbitate Brunum liberari non posse satis quidem certo sunt testimonio, at atheismum tamen non euincunt, forte mitiorem quoque et benigniorem interpretationem admittunt, de quo illi statuent, quibus ipsius libelli legendi copia occurrit: multo minus ad excusandam Romanae inquisitionis saeuitiam sufficiunt. Et haec quidem de Iordano Bruno Nolano.

CAPVT TERTIVM,
DE HIERONYMO CARDANO.

§. I.

*Historiae H.
Cardani scri-
ptores.*

Eodem inter reformatores philosophiae caractere, quo Brunus, innotuit HIERONYMVS CARDANVS, in philosophiae pariter atque artis medicae historia celeberrimus, qui, dubium est, vtrum virtutibus illustrior fuerit, quam vitiis. Amplissimum is ipse de vita sua commentarium scripsit, quem, vt erat Proteo mutabilior, aliquoties refinxit. Teste enim Cl. REIMMANNO ^a sciagraphia libelli *de Libris propriis* adiecta est eius libris *de Consolatione*, editamque esse anno clō 15xxvii, alibi idem vir doctus innuit ^b. Quo auctore quoque nouimus Basileae anno clō 15xlii, vna cum aliis quibusdam eius lucubrationibus prodiisse. Et NAVDAEVS ^c Norimbergensem editionem anni clō 15xlii, atque Venetam anni clō 15lvii nominat. Vltimam tamen manum imposuit huic narrationi Cardanus, post editionem anni clō 15lxii, quo libellum istum cum libris *IV Somniorum Synesiorum* aliisque apud Basileenses vulgavit anno clō 15lxxv, vt ipse refert ^d. Qui liber cum rarius compareret, laudanda est illustris doctrinae viri, GABRIELIS NAV-
DAEI

a) Hist. Atheismi sect. III. c. 4. §. II. p. 366.
b) In Cat. Bibl. Reimmann, P. II. p. 407.

c) In Iud. de Cardano.
d) c. 4. p. 9.

DA EI industria, qui eum apud Parisienses ^e recudi fecit, addito iudicio de Cardano pulcherrime et accurate scripto, quod Cardani postea operibus praefixere editores Lugdunenses, et nonnulli perperam pro biographia Cardani habent; cum characterem tantummodo, ingenii, morum, doctrinae Cardani contineat. Quamvis autem adeo veritati litauerit in describenda vitae suae historia philosophus famosissimus, ut quae parum ipsi decora sunt et existimationem nominis eius laedunt, minime reticuerit, quin eas ἀνομαλίας descripserit, quas si tacuisset, hodie ignorarentur, unde, quam fidem hic praestet scriptor de se ipso intelligitur ^f: dolendum tamen, maluisse Cardanum, per diuersa argumenti capita historiam suam distribuere, quam recto filo et integra serie eam delineare. Ita enim factum, ut quaedam in ea defint, quae non omisisset, si iustum historiae ordinem fuisset secutus. Desideramus ergo hodie adhuc viri καὶ τὰς εὐφημίας καὶ δυσφημίας celeberrimi biographiam accuratam suisque numeris absolutam. Quamvis enim haud pauca collegerint ad historiam Cardani pertinentia P. BAYLE ^g, TOMASINVS ^h, GHILINVS ⁱ, CORTIVS ^k, TELLERVS ^l, CHRISTIVS ^m, TEISSIERVS ⁿ, quos secuti sunt recentiores ^o, qui literariam historiam in vulgus notissimis libris sunt complexi; integra tamen de Cardano tractatione hodie caremus. Nos instituti memores, eiusque legibus circumscripti, ad ea potissimum respiciemus, quae virum et vita, et doctrina et moribus παραδέξιν, et suos manes frequenter passum, propius noscendum offerunt, produntque, quid in nouanda philosophia praestiterit, quam philosophi imaginem expresse- rit, quo pacto vel adiuerit philosophiam vel corruperit, quaeque alia sunt, ad nostros limites pertinentia.

§. II. Habuit Cardanus patriam Mediolanum, natus autem est Pa-
piae. Annum natiuitatis ipse in libro *de Vita propria* definit ^p cIo Io VIII
Cal. Octobr. hora noctis prima non exacta, sed paulo magis dimidia, et ta-
men besse minore. Ast obscurum esse, vtrum numerus VIII. ad annum,
vel ad mensis diem pertineat, iam vidit P. BAYLE ^q, obseruatumque H.
BAILLETO ^r, incertissimos esse scriptores de die annoque natali et emor-
tuali Cardani. Recte autem coniecit acutissimus Baylius, vtrumque nu-
merum, tum qui cIo Io VIII ponit, tum qui annum cIo Io signat, valde
suspectum esse; narrare enim Cardanum ^s: in capite octauo anni laborasse
se dysenteria cum febre ex morbo epidemio et pestilenti, et conualuisse,
dum

Cardani na-
tiuitas, paven-
tes, pueritia.

e) 1643. 8. recusum libellum dedere Amstelodamen-
dameses 1654. 12. qua editione vrimur.

f) Multa de vita sua quoque tetigit Cardanus
in explicatione geniturae suae ad calcem Comm.
in Ptolemaeum de astrorum iudiciis, qui locus cum
ista biographia comparari meretur.

g) Dict. T. I. Art. Cardan.

h) Elog. p. 55.

i) Theatr. P. I. p. 115.

k) Notit. Dei medici scrittorei Milanesi p. 74

l) Monum. ined. trim. XI. art. 1. ex schedis Iac.
Thomasi.

m) Noct. Acad. Spec. I. Obf. 3.

n) Elog. T. III. p. 109.

o) Vitam Cardani descripsit quoque SEV-
NVS Hist. Acad. reg. inscript. T. XIII. art. 2.

p) c. 2. p. 5.

q) l. c. not. A.

r) De fatyres personnelles T. I. p. 46.

s) c. 4. p. 10.

dum Galli deuictis in Abduae confiniis Venetis, celebrarent triumphum, quem a fenestra spectare licuerit. Ast accidisse istam pugnam anno 1519, prid. Id. Mai. ex quo sequatur, Cardanum circa aequinoctia autumnalia anni 1518 dysenteria correptum septennem tunc puerum fuisse, adeoque eius natiuitatem in annum 1511, VIII Cal. Octobr. reponendam esse. Quam coniecturam confirmat totum caput quartum, ex quo paulo curatius attendenti palam erit, ita numerare Cardanum vitae suae annos, ut cum annis seculi XVI tum decurrentis coincident, et natiuitatis tempus in primum seculi XVI annum cadat. Omnem autem dubitationem eximit genitura Cardani, qualem ipse in calce *Commentarii in Cl. PTOLEMAEI libros de astrorum iudiciis* exhibuit. Ex ea enim patet, Cardanum V. Cal. Ian. anno 1510 conceptum, anno 1511, VIII. Cal. Oct. hora VI. min. XL. a meridie natum fuisse; adeoque acu rem tetigisse P. Baylium, nec causam amplius esse, cur de natali Cardani in partes scriptores abeant, qui forte non dissentissent, nisi laudati libri raritas tanta esset, ut paucissimis eam inspicere et verum tempus natale Cardani ex eo discere licuisset. Genere editus est antiqua stirpis nobilitate illustri, quod in ipso tractationis limine enarratis familiae suae heroibus exponit, quod tamen sua aetate ita ad incitas redactum fuisse retulit Naudaeus, ut vix ex plebe Cardanus vnus adhuc Mediolani tum vixerit. Patrem habuit Facium Cardanum, Iurisconsultum, sed et medicinae peritia ac literis mathematicis atque philosophicis clarum, cuius genefin filius exposuit, et potiores vitae eius circumstantias delineauit, quaedam etiam de eo inter medicos Mediolanenses attulit BARTHOL. CORTIVS, qui videndus. Ab hoc parente male se acceptum esse non dissimulat, et frustra tentatis abortiuis medicamentis editum se a matre fatetur; quam a patre discedentem eum peperisse haud obscure ipse innuit. Id quod occasionem suppeditauit MOTTAEIO VAYERIO, NAVDAEO, TEISSIERIO, BAYLIO, suspicandi, ex thoro illegitimo eum prodiisse. Quam tamen suspensionem satis leuem esse, ex eo intelligitur, quod ipse Cardanus vtriusque parentis maiores, et legitimam stirpem enarret: immo Claram Micheriam, nostri matrem a patre viduo in senectute ductam esse in vxorem ipse CARDANVS alio loco disertè testetur. Non tam natus, quam a matre, tribus perpetuis diebus in partu conflictata extractus tanquam mortuus, cum capillis nigris et crispis, recreatus balneo vini calidi superstes euasit tandem. Id quod indicium aerumnarum sibi fuisse tradit. Primo mense nutricem ipsa die, qua aegrotauit, ex peste amisit, ipsique carbunculi quinque in facie, crucis in effigiem, superuenerunt, ut vnus foret in nasi apice, quibus postea

ff) p. 59.

t) c. 1. p. 3.

u) Naudaeana p. 16, 17.

x) De Vita propr. c. 3. p. 7. 8.

y) l. c. p. 62.

z) l. c. l. II. p. 53.

a) Locis citatis.

b) Ep. 63. T. XI. Opp. p. 65.

c) Locis citatis.

d) De Genef. p. 65.

e) De Vir. propr. c. 4. p. 9.

f) De Genef. p. 56.

postea locis tubercula renouata sunt. Tertio demum anno ablactatus, quarto Mediolanum delatus a patre et matre sine causa verberatus, toties aegrotauit ad mortis periculum^e. Anno aetatis octauo dysenteria cum febris epidemica laborans, non prius in spem salutis rediit, quam cum prorsus ut mortuum utriusque parentes desseuissent^b: patre a B. Hieronymo auxilium pro filio deprecante et impetrante, licet is se daemonem quoque familiarem habere palam profiteretur: quem mire eiusmodi fabulis superstitionem olentibus gauisum fuisse filius alio loco^c luculento exemplo docet. Nondum restitutus plane ex morbo cecidit e scala cum malleo, graui vulnere frontem laesit, et simili ratione multoties, si ipsum audis, vitae et sanitatis pericula adiit, quae tamen apud ipsum, prolixè ea enarrantem^d legenda sunt, ex quibus intelligitur, ut animo et temperamento, ita fato singularem prorsus Cardanum fuisse. Propius ad rem nostram spectat eius educatio; ipse enim queritur^e, patrem se ut seruum duxisse mira pertinacia, immo saeuitia; quod diuino quidem consilio potius factum esse, quam patris culpa, tum maxime, quod mater et matertera consenserint, iudicat^f, reapse tamen si non omnis, haud leuis tamen, causa vitae Cardani tantis prudentiae et stultitiae vicibus actae fuisse videtur. Erat autem pater Cardani et legum et artium satis peritus, et mathematicarum disciplinarum, etiam earum, quae secretiores habentur, probe gnarus^g. Ipse igitur filium anno circiter nono arithmeticae rudimenta, et quasi tunc arcana familiariter eum docuit: paulo post etiam Arabicae astrologiae praecepta tradidit, et memoriam in eum artificialem instillare conatus est, ad quam tamen memoriam se minime aptum fuisse fatetur^h. Ad maiora progressus pater post duodecimum annum docuit eum sex Euclidis libros, cum eorum valde studiosus esset; iuris quoque legumque scientiam ei valde commendauit: quia autem in eo instituto a prima iuuentute manserat, ut vitae confuleret, credebaturque, studia medicinae magis huic proposito conducere, quam legum, et ut propiora fini, et ut orbi communia toti, et omnibus seculis; tamen ut candidiora ac quae rationi, aeternae naturae legi non hominum opinionibus inniterentur, ideo haec ipsa cum philosophia amplexatus est, non iurisprudentiamⁱ. Quod ita male habuisse parentem ait, ut, cum deferri studia a se iurisprudentiae, ut philosophiam sequeretur, animaduerneret, fleuerit eo praesente, indolueritque, non iisdem eum studiis incumbere, quod nobiliorum disciplinam arbitraretur, quae esset ad opes et potentiam aptior, et ad familiam euehendam faceret. At ille voto firmo proposito, tum rationibus

g) De Vit. prop. p. 10.

h) Ibid.

i) De Subtilit. L. XIX. p. m. 627. ubi ex patris schedis narrat, daemones quosdam Auerroisimi patronos cum parente fuisse congressus.

k) C. 30. p. 78. seqq.

l) C. 4. p. 11.

m) De Genitur. p. 69.

n) Conf. Сократе notizie storiche intorno a' medici Scrittore Milanese L. II. p. 53.

o) C. 3. p. 8.

p) Ita ipse c. 10. p. 34.

onibus adductis, tum quod parum illum etiam absque impedimento profecisse videret, immotus ad illius adhortationes mansit. Abiit itaque exacto XIX anno in Ticinensem academiam, XXI peracto rursus Papiam se contulit ^q. Ibi audiuit in philosophia Brandam Porrium, et Franciscum Faegium Nouariensem, in medicina vero Matthaem Curtium ^r, sub quo publice disputauit, et professus tum est Euclidem in gymnasio, dialecticam paucis diebus, tum et primam philosophiam, primum pro fratre Romulo Seruita, post pluribus pro quodam medico Pandulfo ^s. Bellorum tumultibus autem coactus domum remigrare, moram longam haud fecit, sed post initium anni XXIV Patauium se contulit, vbi Curtium se et Memoriam in medica arte audiuisse ait. Ibi lauream quoque in artibus accepit laetante parente, qui paulo post fati concessit. Sub huius anni finem factus est rector eius academiae, in fine sequentis medicinae doctor. Peracto magistratu academico, cum patriae fatis pertimesceret, hortatu amici in Saccense oppidum se contulit, et eo loco patriae calamitates, annonae caritatem, pestem, bellicos tumultus euitauit. Quibus remittentibus anno cLoIo x x i x rediit Mediolanum, at reiectus a collegio et matre etiam morosa, rediit in oppidulum, sed graui pectoris morbo oppressus, quo tamen se voto ad B. Virginem solutum esse ait ^t. Frequenter enim ad religionis auxilia solebat recurrere in angustiis, adeo, vt scribat ^u, *se non solum diuinæ maiestatis memorem fuisse, sed et B. Virginis Mariae beatique Martini, somnio monitum, vt sub eius patrocinio aliquando quietiorem vitam et perennem duceret.* Itaque irata numina habuisse Cardanus censendus est, quod somnii vaticinio delusus ad vitae finem, quiete frui non potuerit. Anno eius seculi trigesimo primo duxit uxorem Luciam Bandarinam ex oppido Saccensi ^v, quae, teste TOMASINO ^w plus ingenio et perspicacia valuit quam opibus; quam fati imprudenter duxisse ipse refert ^x, nec negat, annis XV, quibus secum vixerit, omnium malorum, quae sibi in tota vita acciderint, causam fuisse. Cum enim duorum filiorum, et vnus filiae parentem eum fecisset, ilias malorum ex hac prole illi enata est. Formati enim a patre magnam sapientiae et stultitiae mixturam patiente, non potuere ita adulescere, vt solatia inde illis, a quibus sati erant, exurgerent. Inde innumerae Cardano calamitates enatae, quas ipse copiose enarrat ^y, fassus candide, maximum se errorem in filiorum educatione admisisse, quem fati acerbe luere coactus est. Filius enim natu maior ob propinatum vxori puerperae venenum securi in carcere percussus est, minor natu omni flagitiorum genere

pa-

q) C. 4. p. 11.

r) Docuit Curtius medicinam non Papiæ modo, sed et Bononiae, Florentiae, Pisis, Patau. Gratiosus apud Clementem VII. P. M. obiit 1544. Scripta eius enarrat M E R C K L I N. Linden, renov. pag. 793.

s) pag. 12.

t) C. 4. p. 13.

u) C. 22. p. 61. seq.

x) pag. 14.

y) Elog. T. I. p. 55. Ipse de Genit. p. 113. ingeniosam et mediocriter pulchram, animosam, per uicacem, indomitam. describit.

z) De Vir. propr. c. 26. p. 68. seq.

a) pag. 70.

patrem excruciauit, nec carceris metu ab eo coerceri potuit. Vnde damnatum suum deflere non debuerat ^b, quod ab anno XXI adXXXI oblaesus in genitalibus non potuerit concumbere cum mulieribus, quamuis fateatur ^c, *cogitationem assiduam Venereorum perpetuo ipsum torfisse, et quod factum implere non licuit, aut fecisse potentem puduit, cogitatione assidua mentitum esse voluptatem.* Quam libidinofam cogitationem causam habuisse Venerem Saturno et Mercurio complicatam, et Martem vtrique luminari ingeniose nugatur. Cum autem Sacca Gallareatum aeger se contulisset, adeo paupertate pressus est, ut se *desisse* dicat ^d, *pauperem esse, quia nihil ipsi relictum fuerit.* Paulo tamen laetior fortuna arridere coepit, cum XXXIV annis iam perfectis Mediolani mathematicas artes profitendi occasionem nactus esset; et oblata quoque fuit biennio post conditio docendae Papiæ medicinae, aut non accepit, quia spes non erat, unde sumeret stipendium. In id itaque connisus est, ut in collegium medicorum Mediolanensium reciperetur. Quo diu quidem exclusus, anno vero 1539 receptus praeter omnium spem amicorum potentium auxilio, post anno 1543 medicinam Mediolani publice professus est. Sequenti autem cum domus eius ruiisset ^e, Papiæ medicinam docuit, anno tamen sequente in patriam rediit, quod stipendium non numeraretur. Quamuis autem inopia eum liberare conarentur amici, et Moronus cardinalis condiciones haud aspernandas anno 1546 ei offerret ^f, difficilis tamen et superciliosus, et suae fortunae minime obsequens eas aspernatus est ^g. Similiter anno sequenti per Andream Vesalium, quo amico utebatur, oblata ei est conditio 1000 coronatorum in singulos annos a rege Daniae, cum victus impensa soluenda: verum et hac fortuna uti nesciuit, cum et regionis intemperies et aliena eum sacra detererent. Et hoc quidem pacto stulti Cardani mores eius saepe fortunam impediuerunt, quam egregie formare potuisset, si scenae inseruire suisque fatis uti sciuisset. Nam prolixam narrationem instituit ^h honorum, munerum et commodorum ipsi delatorum, quae tamen omnia contempsit, licet cum paupertate, inuidia, persecutione, et mille calamitatibus in Italia conflictaretur, animo meticuloso, diffidente sibi et suspicaci impedimenta illi inexpectata obiiciente. Quae quidem omnia in explicatione genesis suae siderum influxui tribuit, morum autem hominum intelligentes facile comprehendent, eum suae fortunae fabrum fuisse. Anno 1551 ab Eduardo rege vocatus in Scotiam regis sumtibus abiit, medendique felicitate illustri tanta auri summa, ut in ea aula maneret, inuitatus est, ut se verecundari dicat ⁱ summam explicare, et in paucis annis fuisset ditissimus. At nec regio placebat ^k, nec, quod non

I 2 liceret

b) C. 2. p. 6.

c) De Genit. p. 87.

d) C. 4. p. 14.

e) pag. 15.

f) C. 32. p. 99.

g) pag. 15.

h) C. 32. p. 95. seq. coll. cum tr. de Genituris pag. 91.

i) De Vita propr. c. 32. p. 99.

k) p. 16. 99. conf. BAULE Dist. art. Cardan. not. E. T. II. p. 52.

liceret pecunias per trapezitas ac cursores in Angliam, quanto minus Galliam aut Italiam traducere. Igitur exactis mensibus decem domum rediit, et vocationes haud contemnendas atque opimas moribus suis ductus recusauit. Tandem anno cōlo LXXII a Bononiensi senatu vocatus eam academiam adiit. Anno cōlo LXX incertum qua culpa, carceri inclusus est, in quo tamen praeter libertatem amissam omnia fuere ciuilitate administrata, tandem domum dimissus, ita tamen, ut ea carcer ipsi esset. Qua custodia dies centum sexaginta et tres detentus est. Ex quo vanitatem Cardani, et iactabundi, et arti genethliacae securius fidentis intelligere licet, ita de se scribens ^{l)}: *Toties per calumniam accusatus, nunquam tamen exilii aut carceris poena intentata est, cum tamen pene crucifigendum conciuus mei, quibus nihil veritate ipsa grauius est ac voce libera, clamarent.* Eodem anno Romam, incertum spontaneo exilio, an indicto, abiit, et priuatus degit. Collegium Romanum tamen eum recepit, et summus pontifex pensionem exhibuit. „Quo tempore, se vidisse „Cardanum, narrat THUANVS ^{m)}, paucis ante obitum annis et adlocutum esse diuerso ab aliis cultu incedentem, ac saepius admiratum esse, „cum celeberrimi tot scriptis hominis recordatio subiret, neque tamen „quidquam in eo, quod tantae famae responderet, animaduerneret.“ Tandem deliro similibus, quam philosopho, expirante anno cōlo LXXXVI obiit. Et eum quidem, cum tribus diebus minus septuagesimum quintum annum impleuisset, eodem quo praedixerat, anno et die, videlicet XI Cal. Oct. cōlo LXXXVI defecisse, ob id, ne falleret, mortem suam inedia accelerasse creditum, tradit THUANVS ⁿ⁾: vnde in eo, quo vtebatur P. BAYLE ^{o)}, exemplari historiae Thuani, typhothetae errorem fuisse oportet, annum mortualem Cardani cōlo LXXXV ponentem, quem ideo critico obelo confixit Baylius. Quamuis autem in anno non errauerit Thuanus, in die tamen errasse censendus est. Ipse enim Cardanus in vitae suae enarratione ^{p)} scribit, *testamenta plura se condidisse ad hanc usque diem, quae sit Calendarum mensis Octobris vltima.* Quod vero de morte eius, praedictionem astrologiae iudiciariae explente assertit Thuanus, solo rumore incerto disseminatum fuisse videtur, cum vaticinia Cardani ex astris multorum vocibus velut certissimae depraedicarentur. Ipse enim in *Explicatione geniturae* suae ^{q)}, ubi de morte agit, non ausus est, vitae finem decernere, licet de plerisque satis confidenter statuisset, sed ut artis incertissimae famae succurreret, mortem futuram esse dixit iuxta qualitates locorum et ideo varietatem temporum, et vel anno LVI fore ex moerore, vel LXVIII ex acuta febre laterali que morbo. Immo ait, se non credere, quod superaturus sit ad annum LXXIII, hunc autem tunc ostendere mortem mistam ex febre, paralyfi, catarrho, haemorrhoi-

l) De Genitur, p. 57. Ex hoc vero loco patet, oris intemperie sibi malum suo iumento accersiuisset Cardanum.

m) Hist. sui temp. L. XLII. ad annum 1576.

n) l. c. Elog. T. III. p. 97. 98. Ex his emendanda, quae diximus in Germ. Hist. Philos. Op. T. VII. p. 92.

o) l. c. not. F. TRISSIER. p) c. 36. p. 112. q) p. 134.

morrhoidalibus. Ex quibus patet, non falsum tantum suo vaticinio fuisse Cardanum, sed ne istum quidem annum, quo rebus mortalium ereptus est, praedixisse. Vnde fabula quoque putanda est, quod adiicitur, inedia mortem accelerasse, ne fidem artis prodere videretur. Ceterum, vtrum verum sit, quod in *Naudaeanis* traditur, Romam delatum spe galeri cardinalitii potiundi veneno sublatum esse, deficientibus certioribus testimoniis definiti non potest, licet prius de Cardano, tumente et delirante queat quis suspicari.

§. III. Facile ex hac breui vitae Cardani historia character animi eius plane singularis et *παράδοξος* intelligi potest, quem magna mixtura sapientiae et stultiae tum ingenii exorbitantis, tum voluntatis miro affectuum aestu agitatae et in praecipua actae illustrem fuisse, censendum est. Quam inaequalitatem animi eius recte notavit THUANVS, et reprehendit FRANC. SANCHEZ, *in tanta doctrina, irrationalem baud raro, et deliro potius, quam sapienti similem fuisse.* Et ipse quidem, vt fati aperte de se solebat differere, illustria vitia inter praeclaras virtutes non reticuit. Vnde suam genituram explicans, quas animi qualitates accepisset, praemissa ambitiosa veritatis affectatione, se ex siderum dispositione, ait, „esse ad manuum opificia aptum, animo philosophico et „scientiis accommodato, ingeniosum, elegantem, bene moratum, voluptuarium, laetum, pium, fidum, sapientiae amatorem, meditandum, varia machinantem, mente praestanti, ad discendum pronum, ad „officia promptum praestanda, aemulatore optimorum, inuentorem rerum nouarum, et absque magistri opera proficientem, moribus moderatis, curiosum rerum medicarum, studiosum miraculorum, architectum, captiosum, dolosum, amarulentum, arcanorum gnarum, forbrium, industrium, laboriosum, diligentem, solertem, in diem viuentem, nugacem, religionis contemptorem, iniuriae illatae memorem, inuidum, tristem, infidiatorem, proditorem, magum, incantatorem, „frequentibus calamitatibus obnoxium, suorum osorem, turpi libidini „deditum, solitarium, inamoenum, austerum, sponte etiam diuinantem, „zelotypum, lasciuum, obscenum, maledicum, obsequiosum, senum „conuersatione se delectantem, varium, ancipitem, impurum, dolis mulierum obnoxium, calumniatorem, et omnino incognitum, PROPTER „NATVRAE ET MORVM REPVGNANTIAM, etiam his, „cum quibus assidue versetur.“ Quae licet de dispositione astrorum tantum intelligenda esse videantur, tantum tamen abest, vt disciplinae bonitate ea emendata esse crediderit Cardanus, vt potius luculenta in tractatu de vita propria testimonia descripserit, ex quibus indubitato constat, eundem reuera illum fuisse, qualem sidera praedixisse, ex intima sui conscientia, ad quam prouocat, delineat. Et magnum quidem sui admirationem

Character
Cardani.

I 3

r) Conf. TEISSIER l. c. p. 104.
s) loc. cit.

t) De Arte nihil sciendi p. 193.
u) In Genitur. XII. p. 84.

torem fuisse, infanaque opinione de se suaque praestantia et dotium excellentissimarum usu occupatum, totus ille commentarius loquitur, in quo * tanto veritatis studio se flagrasse ait, ut mendacium se dixisse, haud recordetur, gratum quoque fuisse, et iustitiae amantem, contemptorem honorum et diuitiarum, animo magnum et in aduersis patientem, in secundis moderatum, et maximis difficultatibus ferendis tollendisque parem, moribus inuariabilem et constantem, studiis deditissimum et peruicacem, amicitia fidelem, tacendi peritum et gratum fouisse, et naturae vitia arte et disciplina emendauisse. Ast proprio, quod de se nobis obtrudit, testimonio fidendum secure non esse, recte viris doctis obseruatum est; falsum enim esse, monent, quod frequenter iacet, nunquam se mentitum esse, et securum de mendacii suspicione, ut qui in veritatis studio consenuerit. Fateturque GABRIEL NAUDAEVUS †, cetera virtutum Cardani admirator, se mendacissimum illum fuisse deprehendisse, et ab hoc vitio reliqua demum velut e fonte promanasse, quae a nonnullis deliramenta vocantur, non leuibus de causis se existimare. Quod ne a se dictum inconsulto fuisse, quis sibi persuadeat, signatis id tabulis confirmat, et manifestas contradictiones, quarum vna necessario mendacio efficta esse debet, Cardano in hac vitae suae historia reliquisque eius scriptis excidisse luculenter demonstrat. Auaritiae autem et habendi cupiditati sine modo litauisse, si non alibi constaret vna, quam HILARIUS PIRCKAYMERVS exhibet †, narratio satis superque confirmat. „Is enim cum „Cardanum salutandi gratia adiret, interrogatum se esse, tradit, ab eo: „num pecuniam afferret? cumque ille, se praeter necessarios ad iter numos quicquam attulisse, negaret, respondisse Cardanum: se non curare transalpinos, nisi numos adferrent. Et ex eo tempore se, ait, non „Cardanum amplius, sed *Κερόδιον* eum vocauisse.“ Neque in ea temperamenti, morum, fortunaeque varietate id valde mirandum est: cum et ipse Cardanus ludis rem omnem haud semel perderet, et inopia vltima valde premeretur, et temperamenti melancholici inclinatione ad *αίχρον-νερόδιον* ferretur. Quamuis autem ab ambitiosis se moribus alienum esse clamat, falsum tamen id esse, et insigni mendacio affirmatum, ipse incautus prodidit. Integro enim capite †, cogitationem de nomine perpetuando explicat, ita quidem, ut delirus potius videatur, cum et ipse fateatur, *cupiditatem suam gloriae inter tot et aduersa, et impedimenta, stolidam, non tantum stultam, fuisse; non tamen vnquam concupiuisse gloriam et honores, imo spreuisse* †. Et tota quoque quam de genitura sua scripsit, tractatio id euincit, in qua inter alia *multum interesse veritatis*, ait †, *si se laudauerit, cum non tam turpe sit, seipsum laudare,*

x) Vid. c. 14. p. 46. c. 22. p. 61.

z) In Iudicio de Cardano.

a) De Ratione peregrinandi, *Морюв. По- lyhist. T. I. L. I. c. 15. §. 40. p. 163.*

b) c. 9. p. 28.

c) Nempe cum ambitione hominis certabat

timor, suspicio, et meticulosa diffidentia, quae honores oblatos et desideratos eum accipere impediabant.

d) p. 83. conf. IAC. THOMAS. de Plagio §. 376. 377.

quam iucundum, quod iuste id facere possit. Contendit quoque mores suos tales esse, ut nec laudare citra iactantiam, nec vituperare citra amentiam posse videatur. Quod annon ineptum gloriae captatorem prodat, lectori expendendum relinquimus. Illud recte THOMASINO obseruatum; laudis ac gloriae maxime appetentem fuisse, ac immodica sciendi cupiditate ideo flagrasse, ut ad immortalitatis apicem perueniret, ac ob eam rem studiorum labores omnes et molestias alacrem exantlasset. Quamquam autem pertinaciter negare nolumus, non vitiis modo, sed virtutum quoque specie Cardanum illustrem fuisse: virtutis tamen verae indolem considerantibus, manifestum est, mixturam quandam temperamenti, et circumstantiarum moralium, laruam tantummodo virtutum exhibuisse, cum sine voluntatis emendatione a stultitiae morbo et affectuum imperio, quibus laborabat Cardani animus, virtus vera esse nequeat. Vnde qualis mixtura dementiae, quam magnis ingeniis semper fere adesse dixit Seneca, Cardanum exagitauiſſe, dici possit, et quid de eius virtutibus iudicandum sit, intelligitur. Illud recte obseruatum NAVDAEO: Cardanum ex intemperie quadam animi nusquam aequalis et compositi absurda multa fecisse, et minime sibi in omnibus consentanea locutum fuisse: esse enim melancholicos plerosque superbos, nimiumque sibi blandientes, et elatos, ventosaque habere ingenia, et magnarum rerum, ut nominis, honoris, auctoritatis desiderio flagrantia; esse praeterea suspicaces, morosos, inuidos, maleuolos, simultatum tenaces, immites a se ipsis, et velut in extremo confinio naturae humanae positos, ut coelestem vel belluinam aut mixtam interdum ex utraque, leuissimo impulsu suscipiant. Talem enim reuera Cardanum fuisse, ipse, ut in ebuccinandis vitiis suis laudem gloriamque quaerebat, non inficias iuit. Ait enim e, „se natura sua esse „iracundum, simplicem, Veneri deditum, et ex his tanquam principiis „profluxisse saeuitiam, pertinaciam contentiosam, asperitatem, imprudentiam, iracundiam, vltionis desiderium, etiam ultra vires. Esse se „frigidi cordis timidum, et cerebri calidi, assueuisse vultum in contrarium „semper efformare, ideo simulare se posse: parum esse pium et lingua incontinentem, maxime iratum, ut pudeat et taedeat sui, vitam se Sardana- „paleam anno, quo praefuit gymnasio Patauino egisse. Praecipue inter vitia „sua singulare et magnum se agnoscere et tamen sequi fatetur, ut libentius „nil dicat, quam quod audientibus non displiceat, atque in hoc sciens ac volens perseveret, licet non ignoret, quantum inimicorum vel hoc solum „conciliet. Esse se incontinentem in vita, cum nosceret optime, quae sequi expediret, et oporteret, in deliberando porro celerem nimis, et pene praecipitis ob hoc consilii, et in quouis negotio impatientem morae. Deditum „quoque fuisse immodice ab ipsa adolescentia ludo latrunculorum, quo, quantum familiaris rei iacturam passus sit, compendio nullo non esse facile dictu. „Sed aleam etiam longe deterius cessisse, filiis ad aleam instructis, et domo „aleato-

„aleatoribus saepe patefacta.“ Quae omnia ita tantum excusat Cardanus, vt omnes homines manes suos pati dicat, et ignorantiam conditionis esse asserat, nolle scire, quae scimus, et rem vi velle comprimere. Quod focios quidem illi stultitiae haud paucos esse probat, a vitiorum sentina vero non absoluit. Neque haec vitia soli naturae malignitati et siderum influentiae, quod caussatur, tribuenda sunt, sed caussa haud leuis haesit in habitu animi acquisito, et praua voluntatis dispositione crebrioribus actibus in alteram naturam transeunte. Quanquam enim accepisse indolem a natura ἀνομάλον videri poterat, eam tamen tantum abest, vt sapientiae praeceptis emendauerit, vt potius insolenti morum pertinacia confirmauerit. Cuius testimonium esse potest, quod tot damna expertus, ludorum amorem non deposuerit, adeo vt omnes pene facultates decoxerit, et ad caedem vsque eapropter progressus sit, quod iracundiae locum tam amplum fecerit, vt a vulneribus et plagis haud abesset, et quae his sunt similia. Parum quoque a voluntario stultitiae caractere eum absoluit, quod ad conuersationem, praesertim senex, parum idoneus fuerit, solitudinis cum daemone suo, quem sibi fingebat, amantior, et nullius fere, vt ipse testatur, amicus, eo quod omnes vermibus, pediculis, foetore, anima insidiosa et improba gaudere iniquissima suspitione crederet, et nihil ex hominum conuersatione speraret, vt alias leues et ficulneas quas affert ^f, rationes taceamus. Talis cum animus esset, incessus, qui animum proderet solet, non nisi singularis et dementis similis esse potuit. Eum enim inaequalem esse, tacitisque cogitationibus varia ratione commotum, et mox properantem, mox lentum, prout impetus animi et cogitatio perpetua dominabatur, ipse fassus est ^g. Nec in vestitu sapientis constantiam praebuit. Quem cum saepe mutaret, mox splendida veste comparuit, mox vilissima et detrita ^h. Et hanc quidem haud raro rationum oeconomicarum negligentia genuit, cum multoties cum inopia et paupertate colluctaretur. Nam et parentum opibus casu detritis, et dignitate vana ornatus, et multa in detrimentum rei ab aemulis passus, et familia multa exhaustus, et a collegio medicorum diu reiectus, ipse quandoque prodigus et inconsideratus: corpore infirmus, furtis dilapidatus profusus in emendis libris, loco domicilii saepe cum damno mutato, alea aduersa oppignoratis ornamentis vxoris et suppellectile, mirum, ipse fatetur ⁱ, esse, quod non carens mendicare coeperit. Addi his potest, quod porro tradit ^k, ab obitu patris ad annum vsque XLVI perpetuo ferme litigauisse, et quae alia sunt, quae indolem vitamque ἀνομάλον et a recta via prorsus deflectentem produunt, quae facilius est excusatione pingere, quam ad virtutis praecepta exigere. Ast mirari desinemus, virum, cui insolitus eruditionis vigor, praetereaque, certo tempore magnus animus et acies ingenii praeclara aderat, in tantae dementiae circulis oberrauisse. Tota enim hominis vita παραδόχος fuit, peregri-

f) c. 53. p. 224.

g) c. 21. p. 60. 61.

h) c. 20. p. 59.

i) c. 25. p. 67.

k) c. 28. p. 73.

peregrina, et delirans, vt certissimum sit, cum temperamenti vitio imaginationem deuiantem et extra orbitam vagantem accepisset, ad extrema quaeuis admittenda fuisse pronissimum, et facile attentis persuadere, quod helioboro ad purgandum cerebrum opus habuerit. Talia enim de se praedicat, quae a sanae mentis homine proficisci haud possunt, et nemini quoque persuadebuntur, nisi qui eadem cum Cardano chorda oberrauerit. Hinc eiusmodi de se singularia et ex parte quoque *θαυμασά* iactauit, quae

Credat Iudaeus Apella, non ego.

Talia sunt: praeuisa futura in somniis et interdii monito per voces de iis, quae se absente gererentur, adhibita ecstasis quoties vellet, conspecta sole splendente sidera atque luna, visa spectra atque lemures, splendor circa se obseruatus, qui eum muniret aduersus aemulos, et imprimis genius ille, quem se variis modis monuisse et dormientem et vigilantem et futurorum praesentientem fecisse, tum peculiari capite ¹ libri *de Vita propria* tum in aliis scriptis, ostendat. Quae aut hominem cum impudentia et infania de se mentientem produnt, aut caput Anticyris dignum, et ita imaginationis deliriis corruptum, vt febricitantium somnia pro summis veritatibus haberet, et aliis quoque persuaderi cuperet. Et *ΝΑΥΔΑΕΥΣ* quoque haec pro mendacis et nugis habet, quas Cardanus, cum non ita sui compos esset, velut in publicum theatrum ridenda inuexerit; ductus potissimum loco quodam libri *de Rerum Varietate* ^m, quo sibi nullum daemonem aut genium adesse, fatetur, sed pro bono genio datam esse rationem, patientiamque magnam in laboribus bonum animum, et alia, ait. At, licet praefraete negare nolimus, in haud paucis gloriae ex singulari fato hauriendae studio fuisse mentitum Cardanum, et vae quaedam excogitauisse, ita tamen comparatum est temperamentum Cardani, vt et superstitioni apertas ianuas monstrauerit, et ad imaginationis per interualla quaedam viuaciori impetu exagitatae deliria fuerit pronissimum, quibus occupatus et abreptus Cardanus ea se sentire, videre, audire credidit, quae nullibi, nisi in emoto eius cerebro, accidere ⁿ. Id commentarium eius *de Vita propria* legenti innumeris speciminibus constare potest, ex quibus discas, furenti et insanienti, quam prudenti et cum ratione agenti viro eum fuisse similiorem. Qualia sunt, quod pannofus aliquando, mox ornatus in publicum prodierit, quod Romae diuerso ab aliis cultu spectandus inceserit; quod Bononiae curru vectus sit, tribus tantum rotis suffulto; quod mox concitato gressu, mox valde lentus ambulauerit, quod doloris ita amans fuerit, vt si eo careret, dentibus

mor-

l) c. 47. p. 186.

m) L. XVI. c. 93.

n) Accepisse Cardanum ineptam de genio *παράδοξα* opinionem a patre Facio, ipso filio in hoc argumento magis nugiuendulo ex iis intelligi pot-

est, quae offert *ANTONIVS RVSCA* de Inferno Statu Daemonum L. IV. c. 15. p. 377. cuius verba affert *THOMAS BANGIVS* in Coelo orientis exercit. I. p. 60.

mordendo eum sibi concitauerit; quod ad demonstrandum animum heroicum, se ipsum interficere cogitauerit, et quae alia sunt quam plurima, quae non sine taedio lectoribus centies in biographia sua occidit, quae testimonio sunt luculentissimo, Cardanum haud raro rationis deliquium passum fuisse maximum, et tum ex temperamento, tum ex arte nimia insanuisse. Quales homines corruptae et exorbitantis imaginationis deliria pro certissimis veritatibus habere, nemini ignotum esse putamus, qui semel huius commatis homines vidit et diferentes audiuit.

*Intellectus
viria in Car-
dano maxi-
me superstitio.*

§. IV. Oedipo opus non habet Lector, vt intelligat, ex qua fonte tot dementiae specimina orta sint, quae inter praeclaras doctrinae virtutes Cardani vitam contaminarunt. Hominem enim huius generis deliria suis vicibus patientem inepta multa et absurda facere, mirum haud est. Dolendum autem non in vitae modo actionibus eiusmodi insaniam Cardanum ostendisse, sed habuisse quoque eam influxum satis magnum in intellectum eius atque eruditionem ipsam, quam egregiam cetera aluit et produxit. Et insigniter quidem ea se dementia prodidit in anili superstitione, qua omnem veri philosophi characterem turpiter conspurcauit. Licet enim se religionis et Dei cultus obseruantissimum iactet^o, velitque is videri, qui stupenda illa et admiranda, quibus se praeditum esse gloriatur, dona ad vnius Numinis fontem referat, totus quoque religione occupatus compareat, si verum tamen fatendum, anili superstitione corruptus nihil minus quam verae pietatis indolem expressit. Religiosum enim se tantum in spectrorum, lemurum, somniorum, ominum, et quas alias naenias plenis horreis affert, apud ipsum legendas^p, consideratione et attentione praeflitit, et tam turpiter se dedit, vt mirandum sit, virum philosophiae praefidiis munitum tam egregie in his rebus nugari, eaque pro certissimis veritatibus nobis obtrudere potuisse, quae nonnisi febricitantium deliriis similia pueris atque vetulis possunt persuaderi. Et haec quidem tum temperamento melancholici dispositione, tum parentis similiter ineptientis educatione ipsi naturaliter contigisse, non negamus. At emendare naturalem stultitiam cum debuisset philosophiae praeceptis, nobilissimam scientiam ad incrustandum superstitionis ineptae patrocinium adhibuit. Cuius exemplum esse potest, quod infomnia tanti fecerit, vt SYNESII tractationem *de Insomniis* edendo inque eam commentando, velut pretiosam philosophiae partem earum interpretationes commendauerit. Eiusdem prorsus commatis est, insanum quod astrologiae iudiciariae, quam puer iam a patre didicit, statuit pretium, quo possit, colore philosophico incrustatum. Tanta enim huius artis vanissimae veneratione captus est, vt in CLAUDII PTOLEMAEI *libros quatuor de astrorum iudiciis libros*, qui *constructionis quadripartitae* titulo noti sunt, prolixos commentarios ediderit, in quorum prooemio, acerbissimam illis dicam scribit, *qui cum gloriam ex maledicto, quam eruditione comparare non poterant, quaeren-*

^o) c. 22. p. 61. 62.

^p) c. 43. p. 147. et passim.

tes,

tes, sacrae huic disciplinae, inter ceteras ut splendidissimae bellum intentassent, procaciori lingua, incertum an stultius an imperitius, impudentius, an inconstantius aduersus illam prophano eo ore, quo tanta mentiuntur, debacchati sunt. Viri quidem, in re non bene perspecta imperitissimi, indeque iudices iniquissimi: in ceteris audacissimi et petulantissimi, nec plus nouis quam antiquis institutis, aut amicis quam inimicis, conformes ac fidi. Nec his contentus, ut fiduciae, quam in ea arte collocavit, ostentationem adderet, duodecim geniturarum exempla in calce adiecit, ex CC. geniturarum exemplis selecta, quas praeclare fidem facere arti isti sciebat. Ast quam turpiter fallat, fallaturque, vel ex vno, quod prolixè descripsit, themate suo genethliaco patet, quod licet vaferrime suis circumstantiis attemperauisset, attamen multa habet falsa, et quae vanitatem eius frustrato euentu produnt. Similia illi obiecerunt viri docti passim, et imprimis hostes astrologiae, quod nec in themate Ioannis Baptistae filii, aut Aimari Raconeti, vel Edoardi VI, aliisue quicquam horum euentuum, qui postea consecuti sunt, obseruarit: neque enim laqueum filio, mortem violentam Raconeto, breuem aetatem Edoardo praedixisse, sed successus e directo contrarios. Vnde miramur, tantopere fidem habuisse apud multos Cardanum, ut crederent, plus eum praedixisse, quod euentu probaretur, quam humano consilio et coniciendi arte fieri queat. Maxime vero maculam famae suae affricuit, et iudicii defectum prodidit Cardanus, quod statuisset miracula omnemque, quae IESV CHRISTO *Ἐπειδὴ γενέσθω* euenit, vitae fatorumque feriem ex themate eius genethliaco posse deriuari. Nam non solum acerbe virorum doctorum censuris ideo notatus est, sed et, si fides editori Scaligeranorum, Romae in carcere ideo detentus est, quod genethliacon Christo scripsisset, et si NAVDAEVS^{u)} audiendus est, ideo in discrimen capitis venit. Immo et plagii et malitiosi animi in eiusmodi impietatis nugis gloriam quaerentis ideo suspectus factus est, eo quod ante ipsum simile tentauerint Albumasar, Albertus M. Petrus de Alliaco et Tyberius Ruffilianus, Sextus Calaber, ipse tamen, qui ex Bacchone, Pico Mirandulano, aut Commentariis Roberti Holkot id scire poterat, vaferrime id reticuerit, ut gloria ipsum maneret, quod primus fuerit, qui Christum commentitiis astrorum iudiciis subiecerit. Fuerunt quoque nonnulli, qui de religione eum suspectum eo nomine habuerunt, et atheismi maculam ideo inusserunt, ut infra dicemus. Apologiam tamen suo modo pro Cardano scripsit GABR. NAVDAEVS, non quod leuitate et dementia eum vacare in ea re crederet, sed quod exempla virorum in ecclesia magni habitorum fecutum fuisse ostenderet. Nos ab insigni amentiae et delirii culpa liberari

K 2

rari

q) THVANVS loc. cit.

r) Comm. in Ptolem. de Iudiciis astrorum L. II. p. m. 369. seqq. edit. Lugdan.

s) Vid. THVANVS, SCALIGER, NAVDAEVS, BAYLE II. cc. Obs. Halens. T. X.

Obs. 9. §. 7. p. 221. IO. ANDR. SCHMIDIVS Diff. de Themate Christi natalitio impie et absurde erecto, aliisque.

t) Scaligerana prima p. m. 48.

u) loc. cit.

rari non posse ea propter Cardanum, recte iudicari, putamus, cum conatus ille leuitatis et delirantis ingenii characterem haud vnum habeat. Ex vero enim de eo scripsit TANAQVIL FABER^x: *Hunc libellum Cardani etiamnum adolescens legi. Miratus sum, et risi, et nunc video; nam excitata memoria est. Quid enim si de die natali Iesu Christi non constet? (et verum est, non constare;) Quid si alius eodem solo, eodem coelo, eodem momento natus esset, an is fuisset, qui fuit Christus? dein genethliacum illius scribere, qui ex Spiritu S. conceptus esset? quae res? an quia in Euangelio scriptum legimus: nondum venit hora mea? apage. Possent et aliae rationes afferri, quibus constat, inter dementiae specimina quae Cardanus edidit, hoc praeclarissimum esse, nisi breuitati esset litandum. Quae causa quoque permouit editores operum Cardani, Basileensem an. MDLXXVIII, et Sponium, vt hunc locum plane omitterent; vnde editiones, in quibus comparet, Basileensis anni MDLXIV, fol. et Lugdunensis anni MDLXV, in forma octaua, factae sunt rarissimae. Ast, fatemur quoque, iniuriam illi fecisse SCALIGERVM^z, ex cuius ore plerique, qui librum rarissimum non viderunt, id repetunt, scribentem, *cymbalum hoc genethliacorum*, ita Cardanum apposite vocat, *Domini nostri Iesu Christi thema edidisse, et omnia, quae illi acciderunt, ex positu stellarum necessario contigisse, ratiocinatum esse.* Nam hoc a scopo Cardani alienum prorsus esse, et turpem impietatis notam praeter meritum ei inurere, ipsa nos docet verborum Cardani inspectio. Dabimus ea, cum editiones haud castratae rarissime occurrant, sunt vero ista: *Ex his tandem deuenio ad id, quod est pro exemplo maximo omnium eorum, quae dicta sunt: et est genesis domini nostri Iesu Christi, in qua tot videbis et tanta mirabilia, vt iudices, quod etsi naturalibus rationibus solum insistendum esset, Christi natiuitatem fuisse admirabilem, naturamque illi tribuisse, quantum concursu omnium coelorum excogitari poterat, et naturaliter legem nostram esse legem pietatis, iustitiae, fidei, simplicitatis, charitatis, optimeque institutam: nullumque habituram finem, nisi post reditum eclipticarum, in quo fiet nouus status vniuersi. Nec tamen me velle credas dicere, quod vel diuinitas in Christo vel miracula eius, vel vitae sanctitas, vel legis promulgatio ab astris pendeant. Sed sicut natura illum ornavit optimo temperamento, pulchritudine corporis, sanitate perpetua, grauitate intuitus, quae omnia ferme ex Iosephi in de bello Iudaico testimonio colliguntur, sic etiam Deus optimus et gloriosus optima constitutione astrorum atque admirabili genesin illius adornauit etc.* Satis clare Cardanus quaestionis statum explicat, et Christi diuinitatem, miracula, vitam, legem astris subiecta fuisse negat: adeoque contrarium eorum affirmat, quae post Scaligerum ab omnibus ei imputantur. Sed id modo contendit, cum in tam graui momento omnia prorsus sapientissimi*

ma

x) Ad I. c. Scaligeran,

z) Praef. in Manilium,

y) Vid. CL. VOGTIVS in Cat. libror. rar. pag. 167. seq.

ma constituit diuina sapientia, praeter diuina, miraculosa extraordinaria accessisse etiam in ea hora, quam illius natiuitati decreuerat, illum astrorum positum, ex quo in res naturales, quaeque eorum influxui subiacent, praeclara, singularia, magnifica, gloriosa et tanto concursu digna necessario fuissent deriuanda. Quae satis quidem inepta sunt, cum et incertissimis artis regulis, et vanissimae hypothesi, astrorum irradiationibus res naturales subesse, et falsae opinioni ecclesiam, diem, horam et momentum horae natiuitatis Domini constanter obseruauisse, inaedificentur, ast cuncta, quae pro salute hominum fecit Saluator, astrorum necessitati non submitunt, et non nisi fauentem coeli dispositionem ex libera Dei voluntate electam innuunt. Verum quamuis a religionis contentu ex hac parte liberandum esse censeamus, fatemur tamen, cerebri emoti et artis leuissimae amore furentis specimina haud pauca in hac genitura D. N. comparere. Etsi enim adeo ferocit, vt ex hoc themate secundum Ptolemaei regulas explicato, tantum arti isti praesidium oriri putet, vt non nisi stulte et absurde ea reiici possit: inaudita tamen confingit, v. g. cometen in natiuitate I. C. comparuisse, et momentum natiuitatis pro lubitu comminiscitur, et adeo ineptit, vt stellam Herculem vocatam, praesignificauisse tot ordines militum sacrorum, Teutonicorum, Enliferorum etc. nugetur. Tacemus reliqua his neque meliora neque prudentiora, quae Cardano merito inter delirantes ex arte locum faciunt.

§. V. In caussa fuit haec animi Cardani ἀνομαλία, vt de impietate effect suspectus, et variis de causis nonnullis viris doctis ob atheismum vapularet. Inter quos agmen ducit MARTINVS DEL-RIO^a, qui composuisse eum, ait, librum de animae mortalitate, nunquam editum, sed amicis familiaribus furtim tantummodo ostensum. Eum secutus est MARINVS MERSENNVS^b, qui vt ardenti in atheos zelo flagrauit, ita potissimum inter impietatis patronos Cardanum numerare, eumque inter atheorum monstra referre nullus dubitauit; commotus maxime, loco quodam libri *de Subtilitate*^c, quo quatuor religionum genera, Christianum, gentile, Muhamedanum et Iudaicum, inter se disputando committit, nulli victoria decreta. Vnde colligit, Cardanum librum de tribus impostoribus non tantum referre, sed et approbare, vel saltem eandem doctrinam propagare videri. THEOPHILO RAYNAUDO^d vero ideo homo nullius fidei et religionis audit, quod inter clancularios atheos secundi ordinis aeuo suo principem locum obtinuisset. Aliorum loca, diligenter adducta a S. rev. REIMMANNO^e tacemus. Ast alii viri docti, qui paulo magis temperandum sibi esse in inurenda atheismi nota prudenter statuunt, eo

Cardanus an
Atheus?

K 3

magis

a) Disquis. magic. Tom. I. Lib. II. q. 26. f. 2. pag. 550.

b) In libro longe rarissimo, quem Q. Q. in Genesin appellauit, p. 1830.

c) Lib. XI. p. m. 449. Reperit ea MORYOVS Polyhist. T. I. Lib. I. c. 8. §. 6. p. 70.

d) Erotem. de bonis et malis libris erot. IV. pag. 44.

e) Hist. Atheism. Sect. III. C. 4. §. II. p. 365. add. quos adducunt TERSTIER I. c. et Iac. Thomasius apud IOACH. FELLER. Monum. inedit. trim. XI. art. I. p. 543.

magis ab hoc *ἐγγλήματι* liberandum esse Cardanum autumant, quo certius ex historia eius constat, non tam impietate quam superstitione, quod extremorum in religione, alterum est, atheismo contrarium, potissimum peccauisse, et proinde magis pro demente et insaniente habendum esse, quam pro impietatis vindice. Non excitabimus nomina auctorum, facile apud Cel. REIMANNVM ^f inuenienda, sed ad vnum SAMVELEM PARCKERVM ^g prouocamus, qui eleganter de imputato Cardano atheismo differuit. „Is enim postquam obseruauisset, ideo Caesalpino, Berigardo et huius generis atheis aliis nonnullos Cardanum annumerandum censere, quod omnia diuinæ prouidentiae phaenomena astris aliisque causis naturalibus adscribi voluerit, statuatque ad generationem animalium perfectorum non aliud principium requiri, nisi calorem coelestem, ex quo sequi putent, omnia animalium genera sine numinis prouidentia sed sola fiderum vi gigni: monet, iudicium nimis acre de eo minime vafro illos ferre, et veniam ei dandam esse, si quid impium forsan dixerit. Magnum enim eius ingenium magna dementiae mixtura eum contaminasse, vnde cum per interualla in insaniam incideret, idem illi, quod aliis omnibus insanis contigerit, vt qui multa dicant, quae nec sentiant nec meminerint. Quod vbi luculentis exemplis a Naudaeo collectis demonstrauisset, et imprimis obseruauisset, imprudenter dictorum partim ab inaequalitate ingenii atque morum, partim ab immensa et immoderata gloriae cupiditate haud postremam causam deriuandam esse, extremam vitae calamitatem eum in tantas angustias redegisse contendit, vt insanire coactus fuerit, id quod luculentis quoque testimoniis confirmat. Addit autem, alioqui in omni philosophiae genere tam pie philosophatum esse, vt philosophorum nemo religiosius: in scriptis quae ad mores spectant, religionem vitaeque futurae spem vnicum vitae beatæ fundum esse statuere, vbiq̄ clamare, nullam mortalium, nisi a morte, felicitatem esse, denique hoc vno momento res humanas stare, si summi Numinis prouidentiae curae simus, etc. In physicis Deo omnium auctore semper vsum esse, atque rerum naturae rationes a finibus, quos ipse in mundo condendo habuit, inuestigandas esse, voluisse, eosque ipsum complures inuenisse et exposuisse, eo animi acumine, vt magnus philosophus fuisset, si Peripateticus non esse ausus fuisset. Et denique in astrologicis, quamquam tantam astris vim adscribi voluerit, astra tamen Numinis prouidentiae subiecisse, neque iis tanquam causis principibus vsum fuisse, sed tanquam primæ ministris, et tam varia vbiq̄, cum in astrologia sua, tum in ceteris suis inanibus disciplinis, de Deo diuinæ prouidentia commentatum esse, vt, quicumque legat, non omnino atheum, sed totum fanaticum fuisse concluderit.“ Hactenus Parckerus, cuius iudicium de Cardano ideo adduximus, quoniam totam fere causam pro eo ita perorauit, vt facile ab hac macula absolui possit. Quare pauca addimus,

f) loc. cit.

g) De Deo Disp. 1. S. 25. p. 72.

addimus, et ea modo monemus, quae speciali quadam ratione Cardano obiiiciuntur. Inter quae ingenii futilitas in definiendis fati Christi Saluatoris demonstrata haud paucos coëgit, vt crederent, et religionem Christianam, et omnem Numinis prouidentiam intus et in cute risisse Cardanum. Id vero falsum esse, ex adductis supra eius verbis manifestum est, in quibus diuinitatem, miracula, religionemque a Christo conditam minime se pro naturali astrorum effectu habere, fatetur. Qui autem suspitione contemptae clanculum religionis eum premunt, quod n *Naudaeorum*^b & *Menagianorum*ⁱ collectione traditur, vel incertos rumusculos sequuntur, vel interdum a delirante et sibi ipsi haud conficio temere effusa et imprudenter dicta male ad systema impietatis illi imputandum rapiunt. Nec meliora sunt, quae de mortalitate animae ab eo asserta dicuntur, quo et Auerroismus illi a SCALIGERO^k obiectus pertinet. Librum enim illum quod scripserit, nondum euictum est, animae autem immortalitatem toties omne mortalis vitae et infandarum calamitatum solatium adducit^l, vt qua ratione Auerroismo fauere potuerit, non appareat. Nec contentio illa inter religiones dominantes quam ei obiiicit Mersennus, euincit, eum eandem tibiam inflauisse, cum modo intendat, ostendere, esse in hominis natura dissenfum ab aliis. Ita vero partes Christiani roborat, et reliquorum instruit, vt causae bonae nihil inde sit timendum. Igitur tametsi imprudenter, et inepte nonnulla dixisse Cardanum, quibus impietas facile abuti possit, fateamur, ab atheismo tamen hominem non tam malitiosum, quam dementem absoluendum esse censemus. Nostri hac in parte sunt, G. ARNOLDVS^m, P. BAYLEⁿ, Io. FR. BVDDEVS^o, I. FR. REIMMANNVS^p, G. D. MORHOEIVS^q, SAM. PARCKERVS^r.

§. VI. Altera quae Cardano inuritur ignominia, magia est, cuius suspectus fuisse dicitur BODINO^s, quamque suspitionem potissimum apud Scotos inualuisse historiae Scotiae scriptores obseruant^t, eo quod Ioannem Hamiltonum, archiepiscopum S. Andreae, primatem Scotiae a deplorato frustra a medicis tentato morbo liberauisset, fatalem vitae exitum, quem suspensus tandem passus est, praedixisset. Et hac quoque occasione praedictiones eius astrologicae in partes vocantur, quibus, teste THVANO *iudiciariae fidem apud multos adstruxit, dum certiora per eam, quam ex arte possint, plerumque promeret.* Eas enim sine commercio impuro cum spiritu aliquo fatidico fieri non potuisse iudicant. Ast praeter ius fasque hac ignominia obruitur Cardani memoria. Memorabilis

*Cardanus
magiae an
suspectus?*

h) p. 117.

i) T. IV. p. 408.

k) Exerc. cccvii. in Card.

l) De Vita propr. p. 66. librum autem de Immortalitate animae se conscripsisse tradit.

m) Hist. eccles. et haeret. P. II, L. XVII, p. 324.

n) I. c. not. D.

o) Thef. de Atheismo I. c. §. 24.

p) loc. cit.

q) I. c. p. 110.

r) loc. cit.

s) De Mag. daem. p. 438.

t) Vid. quos avert BAYLE I. c. not. E.

rabilis enim ista curatio archiepiscopi, quam ipse admirandam fuisse, depraedicat, aut artis et experientiae medicae Cardano non denegandae opus fuit, aut casus fortuiti^{u)}, certe tanta non fuit, ut sine daemonum commercio fieri non potuerit. Quae vero de praedicta eius morte ignominiosa traduntur, testimonio fide digno carent, et ex vulgi rumusculis sunt, inde forte orta, quod huic archiepiscopo commentarios *de Astro- rum iudiciis* inscripisset. In qua dedicatione tamen vestigium eius rei vel adamatae ab Hamiltono artis iudiciariae apparet nullum. Ut taceamus, vix aucturum fuisse Cardanum viro, quem inter maximos Moecenates re- tulerat, exitus adeo lugubres et funestos praedicere. Quae vero vaticinia eius astrologica concernunt, sane ridiculi illi sunt, qui spirituum re- velationes in partes vocant. Non iam contendemus, utrum verum sit, quod multa praedixerit, quae eventu postea sunt comprobata, cum in genituris illis, quas typis vulgavit, aperta falsitatem et mendaciorum exempla sint, et una de filio infelici praedictio magno eius malo Car- danum fefellerit: sed id in praesentia monemus, et coniectandi acu- mine, et hariolandi audacia, et prognosticorum ambiguitate, et even- tu nonnullorum ex accidente, totam illam felicitatem constitisse, ut palpate possunt, qui occasionem habent, libellum *de Genituris* in- spiciendi. Frustra quoque daemon Cardani, quo toties gloriatus est, in partes vocatur. Ille enim aut delirantis cerebri, aut mendacis^{*} oris opus fuit, ut supra observatum; certe huc plane nihil facit, cum non nisi praefensionibus quibusdam eum se cognovisse Cardanus asserat, quae aliunde quoque, si ex morbida imaginatione non fuissent profectae, ortum habere potuissent. Rectius illi agunt, qui Cardano, licet lucidis nonnun- quam intervallis illustri, cerebrum delirii vehementia a pueritia emotum et educationis prauitate quoque corruptum, tum factorum aduersitate et calamitatibus in praeceps actum, atque ingentium et singularium ope- rum meditatione perpetua extra orbitam raptum, adeoque ingenium fa- naticum et enthusiasticum tribuunt, quod innumeris *ἀνομαλίας* demon- stravit, furenti haud raro similiorem fuisse quam sapienti. Quamvis au- tem talis fuisse omnino censendus sit, non potest tamen negari, inge- nium Cardani, ubi ex paroxysmo vires collegit, sibi que redditum est, magnis passibus ad praeclara fuisse progressum. Ea enim huius generis hominum natura est, ut post gravissima deliria et mille ineptias, aliquam aestuantis animi remissionem nacti, acutius haud raro aliis cernant, et in- terdum pulchra atque egregia proferant. Nec dubitandum, quin inter maxima orbis ingenia Cardanus eminuisset, nisi illa amentiae mixtura dotes a natura datas, corrupisset. Verum haec interdum mortalitatis fata sunt.

*Eruditio Car-
dani impri-
mis philoso-
phica.*

§. VII. Talis et vitae moribus et ingenii caractere fuit Cardanus. Eruditionem eius magnam fuisse, et praeclaram apud omnes in confesso est.

u) Id ipse totum non negat, c. 40. pag. 133.

x) Id visum NΑΥΔΑΕΟ I, c. et in Apologiae magiae acculatorum c. 13. p. m. 245.

est. Inde illustria, quae a viris doctis certatim meruit, elogia profecta sunt, quibus ipse peculiare caput libri *de Vita propria* ^y auxit, inter quos fuisse quoque quosdam sibi parum fauentes notat. Alia cumulauit editor libelli *de Vita propria* ^z, Thuani, Martini Henrici, Iulii Caesaris Scaligeri, Ioannis Baptistae Siluatici, Iacobi Philippi Thomafini, Iulii Capacii, Petri Rami, Thomae Campanellae aliorumque. Quibus ea addi possunt, quae collegerunt THOMAS POPE-BLOUNT ^a, TEISSIERIVS ^b, P. BAYLE ^c, IAC. THOMASIVS ^d, quae facile augeri possent ^e, si id ageremus. Consentunt in eo viri doctissimi, quod aduersarii eius, SCALIGERI ^f, verbis describimus, fuisse virum maximum atque incomparabilem, et ingenium habuisse diuinum, licet ob eius inaequalitatem in pluribus desipiat. Nec tacendum vocari eum ab Andrea Alciato, singulari elogii genere, virum inuentionum. Neque tamen in perspicendis eius erroribus, et naeuis, qui ex anomalia temperamentis et mixtura ingenii orti sunt, coecutierunt viri docti, qui passim eum notauerunt ^g. Inter quos, similis ingenii homo est, IORDANVS BRUNVS ^h, qui eum rudem et amentem fabulatorem, licet, ipso centies doctiorem vocat. Maxime vero ob tot obseruationes nouas, singulares, valdeque doctas, quibus philosophiam et artem salutarem locupletauit, extolli solet. Quibus non modo nouator, sed et reformator philosophiae potuisset haberi, si satis animi habuisset, vt a communi via in totum deflecteret ⁱ, et satis prudentiae constantis et diuturnae, vt integro systerate philosophiam transformare potuisset. Ipse in libro *de Vita propria*, peculiari capite ^j ea enarrat, quae in diuersis disciplinis digna adinuenerit. Inter quae, vt mathematica et medica praetereamus, haec sunt, in dialectica: „Quod cum vna fuisset nota, Aristotelica, rem et vsum diuiserit, „vt singuli, discipuli Euclidisticae, Ptolemaicae, Archimediticae, Hippocraticae, Galenicae et Scoticae praecepta perciperent. Praeterea quod „dilemmatis vsum extenderit, amplificationis splendorem auxerit, laboremque plurium mensium, vnus horae spatium imitari, supplere aut „aequare docuerit. Quod in naturali philosophia sustulerit ignem ab elementorum numero, omnia docuerit esse frigida: non commutari elementa inuicem; palingenesiam; qualitates veras esse tantum duas, calorem et humidum, vim salis et olei, non esse in mistis principium ad generationem animalium perfectorum, nisi calorem coelestem; Deum „debere dici immensum: omnia quae partes habent diuersas ordinatas, „animam

y) Cap. 48. p. 192. seq.

z) p. 229. seqq.

a) Cenl. celebr. auct. p. 641.

b) loc. cit.

c) loc. cit.

d) In FELLERII Monumentis ineditis l. c.

e) Conf. MIRAETVS de Script. eccl. Sec. XVI. c. 80. p. 175. Sciopp. Amphotid. Sciopp. p. 120.

BOECLER. Bibl. crit. pag. 489. LEIBNIZ. Theodic. §. 254.

f) Praef. in Manilium.

g) Vid. TEISSIER. l. c. BVDDEVS Hist. phil. c. VI. §. 12. p. 406.

h) De Imenso et innumerabili L. VI. p. 407.

i) PARCKER. l. c.

j) c. 44. p. 166.

„animam habere, et vitam; animae nostrae immortalitatem iuxta philo-
 „sophos veram, non umbratilem: numero omnia constare, vt in plan-
 „tis foliorum et feminum certo: principium similitudinis esse modum
 „agendi ab vno agente et vna materia, ab hoc sequi tot varietates et pul-
 „chritudinem; terram esse per se, et non vt mistum cum aqua: inde
 „prominere in partibus oppositis saepe: cur oriens sit melior occidente?
 „cur recedente sole post solstitia, tam calor quam frigus multis diebus
 „augeatur? quid fatum et quomodo: de causis rerum mirabilium, velut
 „cur mille aleae in mille iactibus, si sint legitimae, necessario iaciant
 „monadem? ab omnibus foliis plantarum putridis diuersum iuxta folio-
 „rum naturam animal generari: naturam nullam esse, sed rem fictam et
 „vanam, principium multorum errorum ab Aristotele introductam, so-
 „lum vt Platonis opinionem nomine euerteret. Deducendam contem-
 „plationem rerum naturalium ad artem et opus. In morali philosophia,
 „quod docuerit, aequalitatem conditionis omnium non solum hominum,
 „sed etiam viuientium: vnde coniectari naturaliter licet compensationem
 „a morte actionum in hominibus vtilitatem capere ex aduersis: quaenam
 „optima vita, et quomodo cum aequalitate stare possit? tria esse regna:
 „quod in regno humano melius per saepe esset, nescire quid bonum vel
 „malum, si nescias quantitatem, in aliis autem secus; sicut etiam de fe-
 „licitate in vnoquoque: cognitio morum hominum primo in genere post,
 „iuxta gentes, et reliqua, vt consuetudines, demum huius proprie vel
 „alterius.“ Haec ipse noua et a se inuenta designat Cardanus. Faten-
 „dum quoque Cardanum ingenio fertilissimo et inuentionibus supra modum
 „apto vsum, vbi a paroxysmo delirii vacuus fuit, multa egregie protulisse,
 „acumen haud raro singulare demonstrauisse, et cogitationibus valde supra
 „vulgus philosophorum se extulisse, eam autem lectionis copiam demon-
 „strauisse, quam omnino mireris. His-accessit animus satis magnus et
 „erectus ad conculcandos errores temporis diuturnitate et errantium au-
 „thoritate confirmatos et in vsum receptos. Cuius memorabile specimen
 „dedit in libro, quem *de Methodo medendi* inscripsit, in quo magna
 „animi fiducia, graue, ita ipse scribit, *certamen aggressus inueteratos*
 „*errores, ac apud totum pene orbem diutino vsu firmatos abolere tentauit,*
 „non solum errores ipsos, causamque errorum retexens, sed et veram me-
 „dendi rationem explicans. Quae animi constantia acerbam quoque faty-
 „ram in medicos genuit, quae *Sectionis primae* epilogum absoluit. Quod
 „si ea considerantur, quae de argumento naturali scripsit, quo celeberrimi
 „libri *de Subtilitate & varietate rerum* pertinent, omnino agnoscendum,
 „aliam dare Cardanum philosophiam naturalem potuisse, si et integrum sy-
 „stema condere voluisset, et iudicio integro et accurato semper vti, sibi-
 „que ab imaginationis morbis cauere valuisset. Cuius vt specimen habea-
 „mus, en ex multis selecta pauca, vt de philosophia Cardani lectori con-
 „stet:

k) Praef. p. 5.

stet: Statuit nempe Cardanus: dari materiam primam etiam actu, eandemque quantitatem quandam retinere; cumque omnem ab initio orbem compleuisset, vacuum esse non potuisse, eo quod vacuo aucto materiam tolli necesse esset. Esse tria principia ubique materiam, formam et animam: esse tres in vniuersum motus naturales, primum ac validissimum a forma elementi, secundum e directo huic contrarium, tertium grauium ad inferna, leuium ad superna: accedere principiis naturalibus locum et motum. Tria tantum esse elementa, aquam, terram, aërem, et ex horum numero eximendum ignem. Esse ea omnia frigidissima et caloris expertia, dissidere autem in humido: omnem vero lucem esse calidam et miscere, et omne astrum ob id esse calidum. Esse autem proprie elementum, quod nec pabulo indiget, nec sponte corrumpitur, nec vagatur, sed certam tenet sedem, maximam habens molem, eamque secundum naturam ac ad generationem paratam. Ignem esse summam caliditatem cum siccitate coniunctam; frigus nihil esse actu, sed solam esse caloris priuationem: tria tantum vere in mistis esse, terram et aquam pro materia, et coelestem calorem agentem: aërem ideo esse, vt subiiciatur radiis fiderum, illorumque vires excipiat; eum semper moueri: terram esse in medio mundi, flumina oriri, quia aër in aquam transeat, niue et imbribus assiduis ad hoc non parum conducentibus. Substantiam coeli esse variam et inaequalem: lunae lumen non vniuersum a sole pendere, multo minus fiderum reliquorum; sed propriam quoque lucem habere. Habere omnia sidera lumen, motum, ac magnitudinem propriam: lumen esse lucis similitudinem, iunctam habentem et claritatem et calorem; coelum nunquam quiescere, et ubique praesentem habere animam, nec fatigari posse. Cometen esse globum in coelo constitutum, qui a sole illuminatus videtur, et dum radii transeunt barbae aut caudae effigiem formant. Generari colores omnes ex tribus, subiecta materia, luce, seu potius lumine, quod ei miscetur, et medio. Plantas habere sensum, etenim et odisse, et amare, et membra habere functionibus plena; generari animalia imperfectiora ex putridis, eamque generationem intendi a natura, quod exiguo tempore absoluatur. Hominem non esse animal, quia praeter animam, mentem quoque acceperit. Intellectum esse rem ipsam quae intelligitur, voluntatem autem cum fertur extra, nec est idem obiecto huic, sed similis. Haec ex innumeris Cardanus in libris *de Subtilitate*, quae mira, vt solet, materiarum confusione et cumulo spargit magis, quam disponit, vt facile intelligas, ingenium foecundum plus subministrasse, quam ordinare poterat iudicium. Idem in libris *de Varietate rerum* obtinet, quae supplementum esse possunt librorum *de Subtilitate*. Etiam in iis suis cogitationibus infixus, haud raro a trita via discedit, et sibi propria habet. Talia sunt: cometen nulla substantia propria constare, sed in coelo fieri, neque vno solo, sed in singulis, quemadmodum et lactea via; eorum effectus prodire a tenuitate aëris, sine qua non con-

spiciantur. Non esse qualitates primas, praeter duas calorem et humidum. Mentem, ut remotissima est a primis principiis, eo esse praestantior. Multorum esse intellectum vnum, eumque videri singulorum esse, quia plures vni idem sunt ^l. Mentem non ipsam errare, nec offuscari, sed turbari ea, quae sunt ante illam, quibus functio eius impeditur. Esse etiam per se perspicuam et aeternam extrinsecus aduenientem, adeoque falso mortalem existimari. Terram esse velut spongiam aqua plenam. Res et affectus naturales sensim declinare ex vna in aliam, omniaque, quae natura participans, affectu etiam participare, atque ideo in eis quicquam inueniri raro sincerum: si legibus astrorum standum, necesse esse anno Christi 1600 magnam mutationem facturam esse ^m in Christi lege; lunam in eccentrico orbe non reuolui: esse influxum siderum, eamque vim occultam, qua omnia mortalia reguntur, quod qui negant, longe magis eos Herostrato impios esse: daemones in res naturales nihil posse, nec casu omnia fieri, sed ordinem in coelestibus et mirum et constantem manifestissimum esse: esse autem influxum, quam certam caloris coelestis mensuram in magnitudine, vi, tempore actionis, nobis autem incerta. Causam cur plures se morti, ob religionis cultum exposuerint, non esse a Deo, sed humorem illum atrum, qui quosdam stupefacit, alios facit amentes: Deum enim innocentium calamitate non delectari ⁿ, sed suam cuique stultitiam damno esse. Gigni itaque has dispositiones generalibus siderum constitutionibus, quae cum validae sint, in his, qui in philosophia exercitati non sunt, opiniones firmissimas et absonas gignere, quae postquam per pessimos quosdam et auarissimos viros in vnam redigantur atque firmantur: inde esse plurimas sectas atque inuicem directe pugnantem, quas non pudeat dicere: Dei hoc esse dogma. Mentem esse sempiternam substantiam, imaginem verarum rerum a materia secretarum, extrinsecus homini aduenientem ^o: indigere autem vehiculo, quo corrupto eius operatio corrumpatur. Esse immortalem, quinque modis demonstrari posse, nec pluribus, nempe ex propria substantia, ex iis, quae illi eadem sunt, ex operationis modo, ex similibus in opere ipso intus, aut extra. Esse mentem quidem et intellectum omnem extensum, et quasi immensum, sed non limitibus comprehensum, sed absque termino, et quasi coextendi omnibus: contrahi et extendi, fulgere et obscurari, silere et operari, hocque praefertim, quoniam initium operis eius a quodam corporeo originem ducat, quo corrupto intellectus operatio marcescat: Esse quoque aliam plenam suis numeris aliam imperfectam, quae imperfectio in rebus aeternis quoque locum habeat. Cum mens ipsa ardens fuerit in Deo, tunc nostram naturam supra se ipsam efferri, miraculaque contingere:

l) Patet ex adiecta ratione, cur vnus tantum sit intellectus, distare Cardanum ab opinione Averrois.

m) Ita in editis. Scribere volebat, factum iri.

n) Haec L. II, p. m. III. dicta ex eorum ge-

nere sunt, quae incogitanter effudit Cardanus non recordatus, ita martyrum beatorum gloriam pro infamia haberi.

o) P. 524. Haec Platonice magis quam Peripatetice dixit Cardanus.

re ^p: traduci enim humanam mentem ac quasi copulatam altiori corpus fecum eleuare. Haec ex ingenti obseruationum naturalium farragine a Cardano allato facile ostendunt, Cardano nec nouitatem philosophicarum sententiarum, nec varietatem denegari posse, quibus addi merito debet immensa lectionis copia innumeris experimentis et obseruationibus rerum naturalium suffulta, quae hylen quandam physicam haud contemnendam peritis lectoribus, qui iudicio instructi sunt, suppeditare potest. Ast conuincet quoque lectorem ipsa vtriusque libri lectio, certis principiis raro inhaesisse Cardanum, et innumeris imaginibus cerebrum replendo, adeo vagari in tractatione rerum, vt Phaëtonis instar extra orbitam raptus neficiat, quo deferatur. Hinc factum, vt iudicandi acie prorsus suffocata in eiusmodi virum hunc praecipitia deiecerit furens suiue impotens imaginatio, vt tandem casu grauissimo praecipitatus sit. Inde non modo ordine in meditatione nullo vitur, sed ad eiusmodi quoque opiniones deducitur, quae iudicandi vim emotae mentis vitio aegrotauisse sole meridiano clarius loquuntur. Et quamuis satis subtiliter distinguat, claras tamen ideas non confectando, ipse, quid sibi velit, haud raro non intelligit. Maxime autem contradicendi studium, quo se impense delectari passus est, in deuia eum deduxit, cumque Aristotelem oppugnare constituisset, magnoque Peripateticorum odio duceretur ^r, quos aequo se animo ferre non posse profitetur, et tamen Peripateticis notionibus, terminis et principiis assatim esset imbutus, non potuit non frequenter Andabatarum more pugnare, et verbis magis, quam rebus, philosophiam innouare. Ex quibus, nisi nos omnia fallunt, recte concluditur, quamuis emendare nouamque dare philosophiam Cardanus tentauerit, quo nomine etiam inter restauratores philosophiae eum collocat SORELIVS ^s; et quamuis, in interuallis illis lucidis, quae dementiae insultuum expertia fuere, multa praecclare viderit dixeritque; attamen ingenio vere phantastico corruptum parum vtilitatis et emendationis philosophiam ab eo accepisse, nec in albo philosophorum magnum eum nomen mereri; quod si reliquam doctrinae supellectilem consideres, ei doctrinam magnam denegandam magnopere non esse existimamus, quemadmodum non pertinaciter repugnabimus, si quis contenderit, in medendi arte plurimum illum non experientia tantum, sed et ratiocinatione valuisse, de qua tamen eius eruditionis laude medicorum filii dispicient. Nos, ineptum ad reformandam philosophiam Cardanum fuisse, vel ex eo solo colligi posse putamus, quod scripserit ^t: *Delectatus sum in philosophia Aristotele, et Plotino mysticisque illis inuentionibus.* Quas vehementer eum deperiisse, vel ex vna, quam in li-

L 3

bris

p) Etiam hic prodit, quod alibi gloriatur, a Plotino non parum mysteriorum philosophiae se didicisse.

q) Vid. de Var. L. III. p. 147. L. VI. p. 242. f. L. VII. p. 277. et sic passim, de Aristotelis sectatoribus L. VII. p. 267. Aristotelem tamen inter vi-

ros duodecim subtilitate praestantes numerat de Subtil. L. XVI. p. m. 573. edit. Bas. 1664. quae optima est.

r) De Perfect. hom. L. III. p. 429. vers. Germ.

s) De Vita propr. c. 18. p. 58.

bris *de Rerum varietate* instituit, tractatione de mente humana, eiusque unione cum Deo, et mediis eo ducentibus, constat, ea enim tota mysticos sapit, et entusiasmo repletum habuisse Cardanum caput, euincit. Nec meliorem characterem Cardani nobis effingunt, omina, somnia, spectra, auguria, vaticinia, quibus velut vermibus scatet tota Cardani historia ^f, vel infanus Astrologiae apotelesmaticae amor, quo ductum non puduit iniurias in eos euomere atrocissimas, qui huius generis nugas vilipendunt ^g. Accedit his confusio in eius cerebro regnans, quae se toties in scriptis eius prodit, et infinitis digressionibus molestam lectionem facit; quamque veram obscuritatis eius matrem fuisse recte pronuntiauit Naudaeus. Innumeris enim cogitationibus repletus aliter scribere non potuit, licet verisimillimum sit, paupertatem, quam suo sibi iumento attulit, quamque ephimeridibus scribendis se leuauisse aliquando, ait, eum coëgisse, ut et scriptiones suas maturando minus digereret, et dicendorum copia oneraret, ut amplius largiusque inde praemium laboris referret. Nec silentio praetereundum, quod exemplis quoque probauit NAVDAEVS ^h, expilasse Cardanum interdum alios, suppresso eorum nomine, vnde passim ⁱ inter plagii reos eum connumerari videas.

Scripta Cardani et stili ratio.

§. VIII. Scripsit multa vir magna diligentia et extemporanea scribendi facultate gaudens, ex quibus edita plurima, quaedam vel affecta tantum vel suppressa et neglecta delitescunt. Catalogum eorum ipse dedit ^k, et repetiit TOMASINVS ^l, ordine disposuit GABR. NAVDAEVS ^m, et ex huius consilio decem voluminibus collegit vulgauitque CAROLVS SPONIUS ⁿ. Eorum pleraque ad naturalem philosophiam artemque salutarem spectant, quaedam mathemata illustrant. Logicam tamen attigit, et in argumento morali desudans, *de Veritate capienda ex aduersis*, *de Consolatione*, *de Summo Bono*, *de Humana Conditione*, *de Arcanis politicis* differuit. Quorum libellorum editiones indicat CI. STOLLIVS ^o, quem vide. In his scribendi ratione vsus est libera, et aperta, at nec compta, nec elaborata, ita tamen, ut ab inquinato Aponensis, Pomponatii aliorumque medicorum stilo et negligentia in dicendo sibi caueret. Recte quoque obseruatum NAVDAEO, elegantius eum scribere, et venter amoenissimas sectari, cum libet; credo, quod interdum maiori, quam solebat, studio in scribendo exerceretur. Obscuritas itaque Cardani non ab elocutione deriuanda est, quae satis aperta est et perspicua, sed a rerum obscuritate, notionum vagarum incertitudine, principiorum confusione et frequen-

f) Similibus nugis scatet Liber XVI, de Var. rerum, ubi talia de daemonibus et mortuis tanquam verissima narrat, e. g. daemones incubos monstra ex foeminis gignentes, et similia, ut aperte pateat, sanum illi syncipur non fuisse.
g) Vid. Praef. in Ptolemaeum de Iudiciis Astrorum, et in libris de Subtilitate passim.
h) loc. cit. p. 31.

k) TRISSER I. C. THOMASIVS de Plagio n. 376. p. 109. МОРНОФ. Polyh. T. II. L. II. c. 2. §. 11.
l) De Vita propr. c. 45. p. 170.
m) loc. cit. p. 55.
n) loc. cit.
o) Lugduni 1663. fol.
p) Hist. Lit. P. II. et III.

frequentibus etiam digressionibus, quibus lectorem nihil tale expectantem a via deducit, ut vix redire ad pristina vestigia valeat. Tacemus multa supposita et breuiter dicta, aut in differendi contentione animo magis comprehensa, quam expressa literis, quo pacto scriptores haud raro transilire nonnulla solent, quae magnas lectoribus tenebras offundunt.

§. IX. Multos sibi eruditionis copia amicos comparauit Cardanus, *Anici et inimici Cardani.* quorum indicem ipse in libro *de Vita propria* ^d, exhibet; in quo magna comparent nomina, non modo virorum doctrinae laude clarissimorum, sed et munerum generisque dignitate illustrissimorum. Inter quos Christophorus Madratius cardinalis, episcopus Tridentinus, beneficiis et liberalitate egentem sustentauit. Laudat etiam Caroli Borromaei et Marci Antonii Amulii cardinalium amicitiam, quemadmodum Ioannem Hamiltonum primatem Scotiae magno eum fauore complexum fuisse, supra docuimus. Ast qui fautorum et amicorum beneuolentia recreabatur, innumeris quoque inimicorum atque aemulorum odiis, conuiciis, infidiis periclitabatur, quas et emergendi studium, et vitae varietas, et imprimis contradicendi pertinacia ipsi comparauere. Maxime medicorum natio acerbe in eum inuecta est, cui tam inuisus fuit Cardanus, ut diu in medicorum collegium in ipsa patria recipi non posset. Horum enim vlcera ita fortiter tangebatur, ut mirum non sit, pugnis illos atque calcibus Cardanum, strenu-
^e *ιατρομασια* petiuisse. Et hos quidem non solum spernere se didicisse, sed eorum vanitatis misereri scribit ^e, ast dolorem tamen ex indignatione profectum passim prodidit, contemptu eorum inuidiam vlturus. Non acerbiorum autem aduersarium nactus est, Iulio Caesare Scaligero, viro summo. Is quamuis artis criticae et disciplinarum philologicarum, quam philosophicarum, esset peritior, gloriae Cardani tamen inuidia accensus, cum et ipse artem salutarem profiteretur, arma contra Cardanum mouenda esse constituit, et libros de subtilitate, magna tum doctrinae fama apud omnes commendatos aggressus est. Nouem tamen, a prima editione annos elabi passus est, antequam contra Cardanum librum vulgaret, tandem satis spissum opus *Exercitationum exotericarum de subtilitate aduersus Hieronymum Cardanum* edidit, quod valde tum quidem commendauit illustris auctoris fama apud omnes maxima et praeclara de doctrina eius vniuersali opinio ^f. In huius scriptionis praefatione, magnificas quidem laudes tribuit Cardano, et suam scribendi industriam valde extenuat, in ipsa autem tractatione toties Cardano, de fama detrahit, quoties carpi eum posse iudicabat. Inde factum, ut, vbi rebus non valeret, verbis eum perimere, et critico obelo configere contenderet, eum autem, quem ambitiose in praefatione laudauerat, mille conuiciis laceraret.

Hinc

^d) c. 15. p. 49.

^e) c. 16. p. 53.

^f) Vid. Epistola Io. CRATONIS ad Iose-

phum Scaligerum, editioni Wechelianaee anni 1582. praemissa.

Hinc accensus ira, quod Aristotelem contempsisset, conuiciatorem, latratorem, canem vocat ^g, et commentarios eius confusissimam rhapsodiam nominat, et sententias illi nequitiae et impietatis imputat ^h, inter quas imprimis ille intellectus vnus est, quem sensu illi Auerroistice tribuit; et millies deliria, nugae pueriles, ingenium turbidum, inscitiam, temeritatem, ventosum ingenium et similia exprobrat, vt facile appareat, laudes in Cardanum cumulas in limine, amaram tantum satyram exhibere. Respondit ad opus Scaligeri prolixum Cardanus, *Actionemque primam edidit in calumniatorem librorum de subtilitate*, in quo praetermissio ex contemptu et indignatione nomine, hunc calumniatorem librorum suorum de subtilitate ait, dum moliri suo Marte nihil audeat, opus suum ideo aggressum esse, vt mutuis altercationibus hominibus innotesceret: eum autem, putat, aut non admodum iudicio valuisse, aut liuore quodam victum esse, cum tantus non sit, quantum sui illi gnathones fuerint in re literaria. Reprehendit autem in eo, quod calumniis ac criminationibus, tum maledictis absque offensa, immo etiam absque cognitione hominis vlla ipsum inceserit, et laudationem in epistola praemissa ad calumniam et iniuriam irrisionem adiecerit, malo quoque animo de religione accusare nitatur: quae violentissimi inimici aut virulentissimi animi indicia manifesta esse pronuntiat, illique obiicit, quod toties Aristotelis atque Auerrois innixus principiis atque auctoritate, (qua scilicet salua mundi aeternitate ab illis probata Christi diuinitas et spes remunerationis bonorum atque malorum auferatur,) ipsum audeat de impietate infimulare. Quibus integritatem pietatemque suam a nemine hactenus in dubium vocatam opponit, licet de rusticitate et odio suorum conquerendi causam habeat, et quo potest modo eruditionem Scaligeri in dubium vocat, intimam ei barbariem obiicit, et ridet, quod eum ne quidem grammaticus esset, de omnibus disciplinis scribere ausus sit. Et hoc quidem pacto magno animo et acerbo dicendi genere Scaligero respondet, quem maleuolo et inepto scripsisse animo in tota hac actione more suo demonstrat, et eum rodit, quod vitia editionis primae, non attendens ad emendationes posterioris, ipsi imputauerit. Dici non potest, quantum existimationi suae hac lite Scaliger nocuerit, cum ex comparatione scripti vtriusque clarissime constaret, impotente Scaligerum animo et ambitione atque inuidia lymphatum supra vires suas hanc contentionis ferram reciprocare coepisse. Vt enim innumera sophismata taceamus, quibus Cardanum aggressus est, recte obseruatum GER. IO. VOSSIO ⁱ, *contradicendi studium, sophista dignius esse quam philosopho, et maiorem etiam modestiam, dum false adeo tractet Cardanum, merito passim requiri, praesertim si cogites, scribere aduersus virum summum, studiis quidem humanitatis et metaphysicis non paulo inferiorem: at non scientia naturae, matheos, autem omnibus disciplinis, in quibus pa-*

rum

g) pag. 153.
h) pag. 987.

i) De Theolog. gentili Libr. III. cap. 8. pag. 1163.

rum omnino Scaliger viderit, albis quod dicitur, equis praeuertentem. Quod Vossii iudicium aequissimum esse, et ipsa comparatio docet, et dudum a viris doctis, IO. SPERLINGIO ^k et RVDOLPHO GOELENIO ^l, qui in exercitationes Scaligeri animaduenterunt, est ostensum; id quod breui quoque ac accurata obseruatione factum a SORELLIO ^m. Passim ⁿ ideo Scaligeri praecipitantiam, et in hoc quidem doctrinae genere ἀπαιδευσίαν reprehendi notarique videas, licet variarum rerum, ad historiam naturalem pertinentium copiam, quam ex vastae literaturae penu Scaliger depromebat, aequus quilibet laudauerit. Mirandum ergo, et nominis potissimum magnitudini, qua fruebatur Scaliger, adscribendum est, quod teste B. IO. FR. BVDDEO ^o tantae olim hic liber auctoritatis fuerit, vt nemo philosophus censeretur, qui eum non legisset, et, quod PAGANINVS GAUDENTIVS ^p indignatur, multi cum profiterentur se adhaerere doctrinae Peripateticae, ex volumine de subtilitate contra Cardanum depromserint dicta ac sententias, inque iis conqueuerint, nihil ultra quaerentes, perinde ac si voces forent atque oracula ex cortina Lycei ex fonte Aristotelici Peripati prolata. Cum tamen multoties vel non intellexerit Aristotelem et perperam interpretatus sit, vel ab eo recesserit. Id quod integra dissertatione demonstrauit luculenter idem GAUDENTIVS ^q. Quodsi parcius in Cardanum fuisset inuectus, si verum quaestionis statum excussisset, si a vocum disceptatione et criticis disquisitionibus sibi temperauisset, si doctrinam attulisset, in philosophia naturali et mathematicis magis exercitatum, sique suis ipse monitis fuisset obsecutus, famae suae, qua illustri et maxima fruebatur, hanc labem non aspersisset. Prudenter enim monuit ^r, non desunt circumscripti animi quorundam et seruales, qui in tenebris ignauo marcescere otio, quam in luce ac puluere cum labore versari malunt. Quid turpius, quam ex omnium rerum domino atque dictatore, intellectu nostro efficere mancipium alienae libidinis?

k) In Meditationibus super subtilitates Scaligeri.

l) In Aduersariis ad exotericas aliquot I. C. Scaligeri exercitationes.

m) loc. cit.

n) NAUDAENS I. C. p. 19. 20. BAYLE

I. C. not. X. BOECLER, Bibl. crit. pag. 602.

STOLLIVS Hist. lit. p. 547. SORELL. I. C. p. 431.

o) Introd. in hist. theol. L. I. p. 265.

p) In Excussione exoterica de nonnullis, quae non Peripatetice dixisse viderur I. C. Scaliger in opere de Subtilitate, quae in Sylloge differt. cum tr. de Pythagorea animarum transmigratione Pisis 1641. 4. prodiit, p. 200.

q) loc. cit.

r) Ex. VI. § 4. p. 29.

